

quædam est: nam minima mala comparata cum majoribus boni quodammodo rationem habent, præsertim quum a majoribus præservant.

§. 19. Sextum præceptum est, ut non solum confideremus, quòdnam vitium magis cum virtute pugnet, quod superius præceptum sciscit, verum etiam ut perpendamus, in quod simus aut ob temperamentum, aut ob educationem, aut ob sæculi mores, propensiores, ut ab eo nos longius abducamus. Atque in hoc præsertim homini virtutis amanti danda est opera. Eleganter item Horatius

. Denique teipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inieverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala: namque
Neglectis urenda filix innascitur arvis.

§. 20. Septimum præceptum est ex superiori proficiens. Nempe quoniam sunt quædam vitia, quæ ætatem sunt propria, ut in adolescentibus, ac juvenibus intemperantia, & præcipitantia; in viris ætate maturis ambitio: in senibus avaritia, querimonia, & perversus amor τῆς δυνάμεως, ut ait Aristophanes in *Avibus*, judicandi scilicet: hæc in primis coercenda sunt, & vitanda: his impendendus magna cura animus, ne si nos semel invadant, correptos tota illa ætate teneant, ac totam vitam moralem conturbent. Quæ de ætate dixi, id & professiones quoque spectat: sunt enim quædam mathematicorum, quædam medicorum: quædam jurisconsultorum propria vitia: sunt quædam theologorum, quædam grammaticorum. Ea pictorum, hæc sculptorum. Me quoque pudet communi proverbio nos *genus* traduci *avarissimum* & *impudentissimum*. Quam turpia illa dicitur, *medici regula: theologi conscientia: literatorum modestia*. Ac brevi, *sua quisque artis indigus*. Hæc vulgus non ingereret, nisi experimento didicisset. Quid igitur? aliis alii imponimus? alii alios deludificamus? Ac utinam id jampridem populus non sensisset. Hæc igitur procuramus, omniumque maxime exhorreamus.

§. 21. Octavum præceptum est, ut otium cane pejus & angue fugias: est enim ut vitiorum omnium sentina, ita præcipue virtuti inimicum. Quocirca labori incumbendum est viro virtutis amanti (a). Quumque duplices sint labores, animi, & corporis; corporis quidem labores pro cuiusque conditione suscipiendi: sed animus numquam, aut raro a seriis occupationibus removendus est. Homines ipsi litterarum studiis dediti operæ pretium facient, si artem aliquam mechanicam, honestam illam, & ingenuis dignam, discant, atque in ea subcisivis horis se exercent. Picus Mirandulanus Comes juvenis, & nobilitate generis, & litteris celebratissimus id præcipuum sui ornamentum censebat, quod artes ferme omnes mechanicas sciret exercere. Egregios superioris ætatis philosophos cum voluptate exercuisse aut sculpturam, aut picturam, aut artem perspicillorum, vel horologiorum, ex eorum vitis scimus. Eam ob rem plura inventa mechanica iis debemus. Veteres monachi agriculturam, pluresque artes fabriles excolebant: libros græcos latinisque exscribebant; indeque factum ut ἀσχῆτος dicerentur: nam ἀσχεω est *exerceo*, ut norunt pueri. Ac ita illi inter Dei contemplationes, & laudes castos sanctosque se servaverunt: sed inde flexere paulatim in sæculi vitia, postquam scilicet otia & luxus regnarunt. Inter animi autem labores studia sunt litterarum, quibus qui serio vacant, tempus, quod impendant in vitia, non habent. Fama est, rogatum Newtonum, an amationibus umquam operam dedisset, respondisse, nullum sibi reliquum fuisse tempus a meditationibus philosophicis, quo ea de re cogitaret.

§. 22. Quoniam tamen longum est iter per præcepta, breve & efficax per exempla, ac inter exempla illa magis nos commovent, efformantque, quæ in oculis

(a) Itaque Græcis virtus est ab Ἀφῆς mars, bellum, bellica fortitudo. Sed & Latinis virtus pro vigore dicta est. Virtutem hanc moralem Cic. x. de legibus ita definit, ut sit nihil aliud quam in se perfecta & ad summum perducta natura. At natura labore & exercitio perficitur: otio & ignavia languescit, ac collapsa.

culis perpetuo versantur, quam quæ tantum audiuntur, aut leguntur; & rursus, quia ab iis, quos amamus, & quibuscum vivimus, discimus facilius, eosque studiosius imitatur; inde nascitur nonnum præceptum, ut non solum historias virorum in virtute illustrium attentissime legamus, verum etiam eligamus amicos honestos, virtuosos, & sinceros, atque cum iis familiarissime conversemur. Enimvero cum ex lectione virorum illustrium virorum, tum ex conversatione virorum virtuosorum transmeat aliquid continenter in animum, quo paullatim ad virtutem componimur. Præterea coram amicis virtuosis non possumus non esse virtuosus, ac perpetuo ad virtutem insecti: omnes enim homines quantumvis impudentes verentur hominum gravium, & honestorum reprehensionem, ac judicia. Præclare prorsus Seneca epistola 11. ad Lucilium: *Magna pars peccatorum tollitur, si testis peccatoris adsistat.*

§. 23. Decimum præceptum idem Seneca in laudata epistola suppeditat, ut si testis morum sanctitate gravis, & qui pudorem ac reverentiam incutiat, non semper habeatur præsens, saltem perfecta quædam ejus imago menti perpetuo obversetur: plurimum enim animi a vitio retrahit, impellitque ad virtutem. Ut ecce finge te coram Catone esse, vereberis profecto coram viro tam severo & justo esse scurrilis, aut incontinens, aut injustus. Et quomodo dum quis scribit, aut loquitur privatim, si fingat se versari in consessu doctissimorum, ac severi judicii virorum, castigatius ille scribit, aut loquitur; eodem modo honestus vivit, qui coram honestissimis viris vivere sibi persuadet. Sed in re morali id in primis maximi momenti est, sedulo secum reputare coram Deo nos esse, & operari (*Deo enim plena sunt omnia*, ut veteres poëtæ ajunt.) Dei vero oculum vindicem esse, ut Homerus loquitur. Reperire est hoc præceptum in ipsis ethnicis scriptoribus, præsertim in Platone, Seneca, Epicteto, Marco Antonino, aliisque sæpe traditum.

§. 24. Undecimum præceptum est, ut admonitiones, & oburgationes amicorum, aut seniorum non solum æquo animo auscultemus, verum etiam efflagi-

te-

temus, si viri boni esse volumus. Nam quoniam vitia sua nemo omnia inspicit, refert plurimum sincerum admonitorem habere. Quin etiam inimicorum reprehensiones, quas livor dictat, veluti virtutis scholam excipiemus, atque iis, quæ ad nocendum intenduntur, proficiemus ad virtutem: honesta enim hæc est vindictæ ratio, ex inimicis proficere. Insignis est super ea re Cardani liber *de utilitate ex adversis capienda*. Contra vero neminem magis cave, quam adulatorum, qui inimico ipso hoc est pejor & nocentior, quod sub specie amicitie tutius lædat (a).

§. 25. Duodecimum præceptum est, ut vitiorum occasiones omnes fugiamus, atque eorum initiis vehementissime resistamus: quod scilicet semper facilius est, integrum hominem jam vitio irrepenti resistere, quam hominem jam vitio correptum, ac debilitatum: vires enim paullatim decrescunt, atque in eadem ratione auferunt vitium. Id vero cum in omnibus vitiis adhibendum est, tum præcipue in iis, ad quæ sumus natura procliviores. Alexander Macedo utcumque non multa continentia, tamen quum semel invisisset Darii Persarum regis filias ætate florentes, ac forma pulcherrimas, noluit secundo invisere, quia sibi ab illis metuebat: *dolores*, inquit, *oculorum sunt* (b).

§. 26. Decimumtertium vero virtutis præceptum est, ut quod de salute corporis pronuntiavit perspecte Hippocrates, *nihil parvum, nihil contemnendum existima*, id potiori jure ad animum referamus: nam, ut præclare observat Aristoteles, plerumque, quæ mole sunt exigua, virtute sunt maxima: ac *parva sæpe scintilla*, ut ille inquit, *neglecta magnum excitavit incendium*. Igitur ne levibus quidem vitiis aditus patefaciendus est: sic enim ad maxima scandimus gradum. Vulgata sunt illa, & continuata experientia firmata: *qui spernit modica, paullatim decidit, & nemo repente fit pessimus*: Nationes, quæ ad publicam morum corruptionem.

Tom.III.

Y

ptio-

(a) Legatur liber Plutarchi, *qua ratione discerni possit amicus ab adulatore.*

(b) Vide Plutarchum in Alexand.

ptionem devenere, non illæ repente, sed paulatim devenerunt: sensim scilicet a veteribus institutis, & moribus descivere, & vitiis aditum aperuerunt, donec eo veniretur, ut corrumpere, & corrumpi sæculum vocaretur, quod de Romanis scribit Tacitus.

§. 27. Decimumquartum præceptum est, ut quotidie, & accurate factorum, dictorum, aut cogitatorum nostrorum examen instituamus, in quo acculatoris partes adversus nos ipsos suscipiamus, defensoris nunquam. In hoc autem examine vel minima quæque recensenda, atque vel minima emendanda sunt. Testatur Seneca, se hoc præcepto totam vitam regere solitum, nec unquam somnum capere, quin severus sui censor cuncta perpendisset dicta, facta, cogitata, *ignoscentem aliis multa, sibi nihil*. Extat in carmine aureo, quod Pythagoræ tribuitur, locus super ea re insignis, quem operæ pretium est immortalis memoria tenere. Is sic latine se habet.

*E somno primum vigilans, quum strata relinquis,
Disponas animo luce expedienda futura.*

*Quando adimit rebus veniens nox atra colorem,
Ne prius admittas per dulcia lumina somnum,
Singula quam elapsi ter volveris acta diei.*

*Numquid deliqui? quid gessi in tempore? quid non?
Cur isti factis decus absuit, aut ratio illi?*

§. 28. Postremum tandem præceptum est, ut de nobis quam modestissime sentiamus, nec tam quo progressi simus, quam quousque nobis adhuc sit progrediendum, cogitemus. Nihil enim tam progressibus in virtute obstat, quam adrogantia, & multa nostri opinio; quandoquidem nemo eo pervenire contendet, quo se jam pervenisse putat. Itaque quod Plato de virtutibus intellectualibus dixit, *multi ad scientiam pervenissent, nisi se jam pervenisse putarent*, id tu de virtute morali majori jure dicere potes. Eam ob rem cavendum est, ne laudibus capiamur, atque a recto virtutis tramite superbientes deflectamus.

§. 29. Plura alia præcepta ad virtutem aut componentia, aut cohortantia ex virorum illustrium exemplis, aut ex continua vitæ humanæ consuetudine qui-

vis

vis colligere potest. Quæ in superioribus protulimus, si exercitatione ipsa in naturam convertantur, primæ adolescentiæ regendæ sufficiunt. Illud autem nunc explicandum est, quibus argumentis cognoscere possimus, profecerimus, necne, in virtute? Egit ea de re accurate, & docte Plutarchus in opusculo *de profectu virtutum*: inde pauca delibare placet.

§. 30. Primum ille argumentum profectus in virtute ponit virtutis ipsius amorem. Is scilicet se profecisse in virtute sciat, qui virtutem, ac virtutis speciem quamlibet impense se amare persentiscit. Agnoscat autem se virtutem amare, si occasionem exercendæ impatienter quærat; si magno ejus desiderio teneatur; si hominum virtuosorum conversatione delectetur: si ad præsentiam vitiorum exhorrescat, nec in se delectabilem sollicitationem ad vitia sentiat interiorum: uno verbo, quibus indiciis cognoscitur, nos rem aliam quamlibet amare, iisdem dignoscitur, nos amare virtutem.

§. 31. Alterum indicium constituit Plutarchus, si ad aliorum irrisionem constanter perseveret in virtute, nec magnopere animo turbetur. Id autem, ut obtineat, necessarium est non solum ut in virtute occalleat, verum etiam sedulo perpendat, majorem hominum partem vitiis esse corruptam; ac propterea necesse esse, ut virtuosus pluribus displiceat, ut eorum sæpe invidentiæ obnoxius sit, ut calumniis laceretur. In antecessum hæc futura secum reputet, quominus, quum accidunt, perturbetur. Quinimmo hinc tertium argumentum profectus in virtute deducere potest: displicere enim malis, magnum est bonitatis argumentum. Itaque philosophus ille, de quo Laërtius, quum relatum ei esset, se publice laudari, *me miserum*, inquit, *quid tantum mali commerui?* Hinc illud Senecæ, *argumentum pessimum est populi consensus*: in corruptis publice moribus.

§. 32. Quartum indicium est, si læto animo, & lubentissimo objurgationes, & reprehensiones auscultemus. Quemadmodum enim si corpus ægroti utilia medicamenta respuat, argumentum est morbi lethalis; eo-

Y 2

dem

dem modo animus, qui objurcationes ægre fert, atque iis cruciatur, sanus esse non potest. Cujus ratio est, quia virtus animum non insolentem, trucem, ferocem, aliorum contemtorem efficit, sed mitem, ac facillimum. Itaque ubi mansuetudo deest, quod in nebulonibus videre licet; manifestum est argumentum, aut nihil, aut admodum parum in virtute profecisse. Eleganter Plutarchus, *spica plena curvantur, vacua eriguntur.*

§. 33. Jam quintum signum, nos in virtute profecisse, est, si ad difficultates, quas virtus in prospectu offert, non cedamus timidi, sed contra audentes eamus. Ad hunc ardorem accendendum considerandi perpetuo sunt fructus virtutis. Hinc illud Poëtæ,

Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Diogenes Synopeus, quemadmodum idem retulit Plutarchus, profectus Athenas ad philosophiam discendam, publicos civitatis ludos offendit, in quibus Athenienses per omnia urbis loca effusi splendide convivabantur. Hic urbis ejus status cum laboribus, quos ille suscepturus erat, pugnabat, atque illos magis etiam horridos ostendebat. Ille interea minime commotus tantum abest, ut attentionem remiserit, ut potius ea omnia ad excitandam attentionem converteret sapienter, secum reputans, tantas commoditates unam compensare posse virtutem. Quicumque igitur ita formatus est, ut in eo ratio adversus difficultates, quas virtus præsert, fortior pugnet, is sciat, se non mediocriter in virtute profecisse.

§. 34. Sextum indicium est, si adversa sereno animo tolerantur. Enimvero, qui vel minimis malis ita conturbatur, ut miser sit, ne latum quidem unguem profecit. Atque hoc est, quod Stoici docebant, *non cadere in sapientem agritudinem.* Audiamus hic præclarum Ciceronis sortiten. *Neesse est, inquit, qui fortis sit, eundem esse magni animi: qui magni animi sit, invictum: qui invictus sit, eum res humanas despiciere, atque infra se positas arbitrari: despiciere autem nemo potest eas res, propter quas agritudine affici potest. Ex quo efficitur fortem virum agritudine numquam affici.*

ci. Omnes autem sapientes fortes; non cadit igitur in sapientem agritudo (a).

§. 35. Septimum indicium est, si virtuosus allicientia ad vitium libenter contemnat: nam si facile de proposito suo dimoveatur, aut nihil, aut parum profecit. In primis autem solent homines vitiosi vitia sua pulcherrimis adspectibus ornare, quibus minus vitiosi videantur, atque vitii horrorem aliis demant: consuetudine cohonestare: præscriptione defendere: humanæ naturæ aut indigentia, aut imbecillitate excusare: virtutes velut aut imbecillum animorum, aut enthusiastarum commenta traducere, ac deridere, sapientes eos vocare, qui utilitatis privatæ causa astute alios decipere didicerint, stultos qui nesciant. Tu, si ab illis capi minime pateris, scito, te in virtute profecisse.

§. 36. Octavum signum profectus in virtute constituo, si literarum studiosi ea ex omnibus studiis avidius arripiant, quæ sibi, & societati utilia sunt, cetera velut in transitu salurent. Qui enim ita sunt affecti, opera ipsa demonstrant, ad voluntatem, & naturam moralem perficiendam magis impelli, quam ad intellectum, magis ad *partis mathematica*, idest effectricis, quam *logica* seu contemplatricis emendationem, quod præcipit gravissime *Verulamius (b)*. Atque hoc est, quod ego in præsentibus literarum studiosis desidero. Nam video eos magis ad intellectus, aut memoriam potius culturam, quam ad voluntatis & naturæ moralis curas suas intendere, id, quod maximum argumentum est corruptorum publice morum. De Græcis sui temporis dicere solebat Anacharsis scytha, eos

Y 3

phi-

(a) *Tusc. III. 7.*(b) *Præclare Cicero de Finib. IV. 19. Equidem, inquit, in omnibus istis conclusionibus hoc putarem philosophia nobisque dignum, & maxime quum summum bonum quæreremus, vitam nostram, consilia, voluntates, non verba corrigi. Agebat autem de vocabulorum controversia, quæ magna animorum contentione inter Peripateticos, ac Stoicos disceptabatur, malum ne sit dicendus dolor, an non quidem malum, sed toleratu asperum. Sed eadem ego dicta vellem de philologorum, philosophorum, theologorumque subtilibus quibusdam questionibus, quorum veritas nec sciri potest, nec, si sciatur, meliorem vitam humanam efficere potest.*

